

II K
1570



M. 2, 49.

K. 7, 1.



Q. D. B. V.

IVS
AVGVSTI
IN ITALIAM

publice edifferet,

PRAESIDE

CONR. SAMVELE
SCHVRZFLEISCHIO,

PROF. P.

THEOPHILVS AGRICOLA,
RATISBONENSIS,

In Auditorio Maiori

ADD. III APRIL.

A. clb lbc XCVII.

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typ.

V I R I S

ILLVSTRIBVS , MAGNIFICIS , MAXIME
STRENVIS, PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSVLTISSIMIS, PRVDENTIS-
SIMISQVE,

ILLVSTRISL. IMPERIAL. REIP.
RATISBONENSIS,

DN. CAMERARIO,
CONSVLARIBVS ET
SENATORIBVS

RELIQVIS,
PATRIAE PATRIBVS,

*DOMINIS, PATRONIS AC EVER-
GETIS MAXIMIS.*



Magna sunt Ordinis vestri erga me be-
neficia, quae si obliviscerer, impro-
bus, si non praedicarem, ingratus es-
sem. Vtramque malae indolis notam effugere
studeo, & repeto semper ac recolo summa,
quae in me fratresque meos extant merita, &
officia, quibus utinam expectationi vestrae
respondeam, summo iure a me requirunt. Ni-
hil equidem, sicut opto, dignum vobis hac
nondum matura aetate offerre possum, sed
obsequio tamen, quod civem gratum decet,
nemini civium vestrorum concedo. Vires
meae tenues, sed conatus certe est maximus
declarandae erga vos pietatis, & praestan-
dae fidei, quam, si facultate destituor, summa
tamen religione animi obsequium confirma-
bo, & grati nomen Clientis omni tempore
& rerum statu vobis profitebor. Hunc fru-
ctum nulla mihi fortuna eripiet, nullaque
seculi invidia auferet, vel eo constantissimae
pietatis meae argumento, quod ipsa nasce-
di conditio me legibus vestris astringit. Nec
maior

maior mihi felicitas evenire potuit, quam
quod urbis vestrae moribus formatus sum,
& domicilium vestra cura & beneficio habui,
omnibusque in rebus propensissimam in me
voluntatem vestram, & praesidium fortunis,
patrociniumque perspexi. Quae cum tan-
ta sint, ut vix oratione assequar, illud certe
mihi tot beneficiorum cumulis obruto quae-
rendum enixe & comparandum fuit, ut vel
tenuissimum obsequii monumentum inclu-
to Senatui statuerem, & exolvendo aeri fi-
dem darem. Accipite ergo has pagellas, non
expectatione vestra dignas, sed pia gratiae-
que mentis testes, & Dei praepotentis auxi-
lio, ac vestra virtute regite feliciter, & valete
quam diutissime, consiliisque optimis, augete
Ordinis vestri decus, & leges, literas, defen-
dite constanter, Cives demum & Clientes
vestros, me inter utrosque minimum fovete
semper, & patrocinio, ut potestis, maximo
sublevate,

Vitembergae Prid. Non. Mart.
A. cl. lxxiij.

*Civem Vestrum obsequentissimum
& perpetuum Clientem*

THEOPHILVM AGRICOLAM.



I.

Regnum Italiae condiderunt Langobardi, quibus ob pertinaciam domitis, atque ob perfidiam debellatis, summa eius regni potestas ad Germanos delata est, sublato extinctoque regendi iure, quod Langobardici Reges usque ad Berengarii II. tempora habuerunt.

II. Ex quo enim Rex Italiae Berengarius II. se filiumque Adelbertum Ottoni magno, Germanorum Regi, permisit, regnumque ab eo clientelari titulo, & fide iureiurando obligata, suscepit, regni illius ratio vehementer mutata est, ut Rex non suo iure regeret, sed Ottonis magni concessu beneficioque regno praeesset, eique ut domino, summam rerum adeptus, iuxta cum filio Adelberto, deinceps teneretur. *Quod rationibus, auctoritatibus & exemplis confirmare licet ex Luitprando, illorum temporum aequali, Wittikindo Corbeiensis, Auctore supplementi Reginonis, & inter recentiores Carolo Sigonio de regno Italiae l. VI. Quem in Germanicum sermonem convertit Georgius Nigrinus, & annotationes adiecit, sed quae gravitati scriptoris non respondent,*

A

omni-

omnino autem declarant, eum in Caesarea & Regia Italiae iura aliquoties iniquum fuisse.

III. Neque vero in hoc regno, ante Ottonem M. Regum arbitria valebant, sed proceres sacri profanisque, lapsis in Italia rebus, quod per desidiam & derelictionem Francorum contigit, eam pepererunt sibi & confirmarunt auctoritatem, ut cum Regibus de immunitate privilegiisque servandis paciscerentur, qui perfidia Berengarii, promissa & pacta violantis offensi, ad unum omnes sese Ottoni M. subiecerunt. Haud obscure *auctor historiae Beneventanae* indicat, regni Langobardici proceres, priusquam Regi Berengario renunciarent obsequium, ei, nisi regno cederet, filiumque succedere sibi pateretur, denunciasse, *regnum extero Regi commissuros*, id est, transluros & tradituros, quod aliquanto post evenit.

IV. Idcirco huius regni Ordines testati sunt, regnum hoc non esse in Regum patrimonio, & proceres a cura & consortio reipublicae non exclusos, quippe eo loco habitos, ut non modo constituere & creare Reges, verum etiam, si leges regni violarent, auferre iis dignitatem, & adimere regnum possent. In quo convenit Sigonio cum scriptore historiae Beneventanae, quum tradit, summum regni urbisque Mediolanensis Antistitem, *de more concilium vocasse, atque ex omnium, qui frequentes conven-*
rant,

rant, sententia regnum Berengario atque Adelberto abrogatum, ad eum (Ottonem M.) detulisse, ipsumque in aede D. Ambrosii urbana, magno apparatu caeremoniaque inunxisse, consecratumque ferrea (ex vulgi opinione) corona condecorasse. c. l. de regno Italiae.

V. Sed deiectis deletisque Langobardorum Regibus, regnum illud auspicio Ottonis M. in patrimonium gentis, nationisque Germanicae redactum est, & mutato sic rerum statu, Optimates Langobardici iure constituendi Regis exciderunt. Quo novae potestatis regiae argumento Otto M. in tabulis A. DCCCCXLII. editis *regnum proprium* nominavit, propterea quod suis & Germanorum armis opibusque acquisivit, & pleno perpetuoque iure nationi Germanicae addixit, & aeterno foedere coniunxit, adeo ut nunquam deinceps ab Italis repeti, multo minus a Germanis, quorum sanguine partum est, ad aliam externamque nationem transferri, aut quovomodo abalienari queat.

VI. Quin idem, qui primus inter Germanos hoc regnum obtinuit Otto Magnus, iam ante decretum a proceribus de transferendo factum, ius eo in regno habuit, postquam Berengarius, eiusque filius clade sua eo redacti fuerant, ut victori se permitterent, fidemque astringerent, & iureiurando interposito confirmarent. *Witechindus annalium III. quem secutus est Sigonius, & scripto-*

ptores etiam Germanicos evoluit. Hac ergo lege pater & filius regnum ab Ottone receperunt, ut nomine huius beneficii, clientelare ei obsequium iurati profiterentur. Accidit postea, ut promissi tam sancti immemores, sprete iurisiurandi religione, Ottonis dignitatem laederent, cui in Italiam reverso obsistere non poterant, viribus & consilio destituti. Igitur Ottoni regnum vindicaturus, regni illius proceres, conventu habito, assensi sunt, regi que declarato, fidem obstrinxerunt. Otto perfidiae & perduellionis poenas ab utrisque repetiit, ob eamque causam regno multavit. His argumentis tota rei gestae ratio continetur, iustitiaque Ottonianae animadversionis comprobatur.

VII. Quare non est, cur exquiramus, utrum Otto sibi, an Germaniae regnum istud acquisiverit, quando haud negari potest, maximum in eo acquirendo Ottonis fuisse momentum, quippe qui auspicio ductuque suo, nullum laborem periculumque recusans, neque opibus suis parcens, acquisivit, ut familiae, quoad superesset, ratio haberetur, nec tamen a Germania, cui summae fortitudinis fructus constabat, divelleretur. Nam dignatio *primi acquirantis* hoc merito exposcebat, ut non temere familia eius negligeretur, cui novum amplumque regnum, quod *Viridarium Imperii* dicitur, natio Germanica acceptum ferret. Quoniam vero hoc regnum

gnum virtute & impendio maiorum, viribusque adeo & opibus Germanorum acquisitum est, prorsus ita cum Germania coaluit, ut labente Ottonum familia, regnum illud nihilominus penes Germaniam esset, & Regis Italiae imponendi ius, regniqve in universum constituendi potestatem soli Germani haberent. Alioquin rebus meritisque Ottonis Magni conveniebat, ut eius familia non deteriori conditione esset, quam Karolina, quae ante Reges Langobardicos & Germanos, etiam iure hereditario regnum Italiae tenebat.

VIII. Ceterum ab hoc tempore, quo Otto M. regnum Italiae suscepit, consensus procerum Italicorum non erat necessarius, nec modo non in eligendo Rege, sed etiam in constituendo regni statu negligebatur. Ottonis enim in eo regno successores, regia potestate, quam is fundavit, praefuerunt, & regni negotia libere moderati sunt, non expectatis procerum suffragiis, quae Germanis rerum potentibus, nullum ibi, ne in Comitibus quidem, pondus habuerunt. Hoc movet, ut ab eorum sententia discedam, qui existimant, *Ordinum in Italia consilium & consensum in Comitibus requisitum fuisse.* Apud Io. Schilterum, virum eximium, & iureconsultum accuratum, instit. I. Publ. I. XV. 4. Nam Germani praeterquam quod suo iure, & suapte auctoritate Regem Italiae constituunt,

proceres quoque Italicos Regi ab se constituto adstringunt, legibusque in Germania latis completuntur. Illud vero est insigne documentum iuris, quod Germania in regnum Italiae habet, eique Regem imponit, & leges praescribit, litesque Principum summo iudicio disceptat ac decedit. Aliquid huius ostendunt formulae capitaeque pactorum cum Imperatore nuper electo conventorum, praesertim qua ad Sabaudiae & Mantuae, Mutinaeque Duces spectant, & vero ibi temperamentum potestatis speciatim declarant.

IX. Nihil vero impedit, quin Principes consilium dederint, & cum Regum suorum voluntate consenserint, dummodo in ea conditione manerent, ut latis legibus se subiicerent, & leges quoque sine eorum consensu fierent, neque ipsorum dissensu decreta regia infirmarentur. Hoc enim iure usi sunt Ottones, eorumque successores, atque in repugnantes sibi ac resistentes, tanquam in perduelles, animadverterunt. Quae Regum potestas tam firma fuit, ut proceres quoque non tractuum suorum se dominos, sed *nomine Regis ministros terrae* se dicerent, & non tam clientes ac beneficiarios proceres, quam *usufructuarios* se agnoscerent & faterentur. Quod de Regulis Mediolanensibus, qui *Vicecomites* appellati sunt, *trahit Albertus Argentinensis in Chronico ad A. MCCCCLIV.*

X. Non-

X. Nondum ergo regia auctoritas in Italia, ne-
dum in praecipua eius regione Mediolanensi, exole-
verat, sed constitutis passim Vicariis & *Potestatibus*
mandata Regum, etiam post magnum illud ac fata-
le interregnum, & Rudolphi Habsburgii tempora,
in urbibus & provinciis curabantur. Sed Galeacii,
annitentibus praecipue Luzelburgicis, opibus cu-
mulati, in eam se extulerunt altitudinem, ut Impe-
ratoribus, per quos creverunt & evecti sunt, formi-
dolos fierent, & potestate cum titulo aucta, impe-
rante Venceslao, prope ad Italiae dominatum aspi-
rarent. *Io. Nauclerus Chronograph. Vol. II. c.*
gener. 47. Theodoricus Niemijs l. IV. c. 33.
Nemoris Unionis. Praeter hos scriptores Itali
Villanius, Corius, Ripamontius, qui Galeacio-
rum consilia, artes, instrumenta, ambitionis &
potentiae aperuerunt. Addendus est Machia-
vellus histor. Florentin. l. I. & l. III.

XI. Vix altius repetendum est initium imperii
civilis Italiae Principum, quod ratione quadam sum-
mo imperio respondet, & *territorii* nomine defi-
nitur. In quo redarguenda est Luzelburgicorum,
Caroli IV. & Venceslai indulgentia, quod dandi &
concedendi modum excefferunt, Vicariis ducibus-
que hereditaria lege constitutis, contra primi ac-
qvirentis sententiam, in regno iure belli parto, & in
ea sigillatim provincia, quam Otto sibi iure pro-
prio

prio addixerat, eodemque titulo successoribus regendam tenendamque reservarat. Quae causa fuit graviter conqverendi Niemio, non sine stomacho scribenti. *Venceslaus Rex patrizando* (patris prodigalitatem imitando) *nobilissimam ac famosissimam provinciam Lombardiae* (vero & antiquo nomine Langobardia) *quam ipse Ottomagnus Augustus Viridarium imperii appellavit, & eidem Imperio singulariter incorporavit* (arctissime coniunxit) *ut per Imperatores, & Reges Romanos* (Reges Romanorum Romae, aut Romanae ditionis urbe non consecratos) *qui essent pro tempore, iure proprietatis perpetuo* (nullo principe interposito, qui ius regendi clientelare, summoque Regis imperio devinctum habeat) *etiam quodammodo separando ab imperio* (non divellendo, aut dissolvendo imperii nexum, sed regimen duntaxat mutando, quod iure magistratus antea Vicarii imperiales in Langobardia habuerunt, & concedendo ius beneficiarium, dominiumque utile constituendo) *in optimo foro vendidit tyranno, nempe Ioanni Galeacio, qui praecipuas Italiae urbes, Veronam, Vicentiam, Patavium, Senas, Perusium, Assisium, Pisas, in potestatem suam redegit, sublatoque Bernaboe patruo, ac devictis Scaligero & Carrario, totum Insubriae principatum in ditione habuit, atque in Etruriam & Umbriam fines protulit, Mantuanumque*

numque sibi obnoxium reddidit, in eoque Imperatoris, quae Regis & domini, auctoritatem neglexit, atque ab officio patris & patruorum discessit. *Iosephus Ripamontius hist. Mediol. decad. III. lib. 3.*

XII. Haec Galeacis via patuit, quae ad hereditarium Insubriae principatum pervenerunt, quorum casu, simul ut Ioannes Galeacius obiit, finitimi erecti, & exemplo incitati, praefecturas & vicarias dignitates, cum perpetua, sed Regibus devincta, potestate commutarunt, nec praesides provinciarum, & magistratus, sed principes facti, comitesque erecti, & *Marchiones* appellati, hinc maiori potentia & auctoritate Duces renunciati, tum *Vicecomites* quoque ritu & pompa apud Italos insolente cum nomine ducis, & iure quod ad posteros transit, creati, quorum primus in tantae possessionem auctoritatis inductus, & solenniter inauguratus est Ioannes Galeacius, misso eam ad rem Beneficio, qui Venceslai, summi Italiae Principis, beneficiarii quoque domini personam sustineret. *Ripamontius c. l. p. 257.* Vere igitur meritoque a Venceslao ducitur principium imperii civilis, in Italia constituti, at summo devincti, & a regio temperatione quadam dependentis. Quamquam alii a Carolo IV. arcessere malunt, qui *Vicecomitem* instituit Galeacium, & concessa hac dignitate, supra ceteros extulit per Italiam vicarios, sed eam potestatem, quae complexu suo omnia re-

B

gionis

gionis iura, sub una & summa potestate continet, ac in *territorii* fines descripta, trito hodie vocabulo *superioritas* dicitur, demum Galeacii filio, Ioanni Galeacio Venceslaus, novo in Italia more est impertitus. Neque illis assentior, qui hoc exemplo ducti putant, ius illud, quod regionem potestate, regno devincta, complectitur, ex Italia traductum fuisse in Germaniam, propterea quod Germani huius possessionem dignitatis multo ante adepti sunt, & inde ab ultimis regni initiis, ius paciscendi cum Regibus sibi vindicarunt. Contra Italiae proceres Ottoni M. & successoribus eius subiecti, Germanis de se statuendi potestatem permiserunt, ex eoque tempore sui iuris esse desierunt.

XIII. Postea rebus, labente republica, turbatis, viribusque regnantium inclinatis, alii post alios potentiam sibi conflare, & maiora quaedam iura affectarunt sensim atque usurparunt, nec tamen simul & universe statim obtinuerunt; quaedam concessu Regum, quaedam patientia ipsorum compararunt, imprimis ad ius numi cudendi, atque ad vetigalium exigendorum potestatem aspirare coeperunt. Idcirco Fridericus, Aenobarbi cognomine appellatus, instauravit dignitatem pristinam & auctoritatem regiam illustri Ottonum exemplo, confirmavit, reductis stabilitisque iuribus, quae per temporum iniuriam neglecta, aut imminuta videbantur.

Te-

Testis est locupletissimus *Radevicus*, in conventu publico iura regni vindicasse, proceresque iussis Frederici obtemperasse, & omnia quaecunque ad se traxerant, reddidisse. *Lib. II. c. 5. de gestis Frider. I.* Nihilo secius paruerunt vrbes, & iudicio Regis acquieverunt, speciatim Mediolanenses & Ligures, *apud Guntherum, Ligurini lib. IIX.* *Otto Sanblasianus in appendice Chronici Ottonis Frisingensis cap. XIV.* Ingenue is, quem paulo ante nominavi, *Radevicus*; *super iustitia regni* (Italici) & *de regalibus* (ducatuum, marchiarum, Comitatum, Consulatum, item monetae, teloniorum, vectigalium) *quae longo iam tempore* (usurpata, non usu capta) *seu temeritate pervadentium* (nullo concessionis regiae titulo habentium, & aliena invadentium) *seu neglectu Regum Imperio deperierant* (non penitus extincta, sed turbata bellis factionibusque Italia, vi doloque intercepta) *studiose differens* (deliberans & restitutionem flagitans) *cum nullam possent invenire defensionem excusationis* (causa ceciderunt, nec titulum docere potuerunt) *tam Episcopi, quam primates, & civitates uno ore, uno assensu, in manum Principis* (Imperatoris & Regis Italiae) *regalia reddidere*, exceptis duntaxat iis, qui donatione beneficioque Regum, se salvo summi imperii iure, tuebantur. *c. l.* Quae de causa Imperator legum peritos consuluit, auditis.

ditisque eorum rationibus & sententiis, ab alienata *regalia* postliminio & plene recepit, reditusque eo nomine debitos aerario addixit, & potestate regia Italiae negotia constituit, mandataque promulgavit. In tabulis eqvidem *praecepti imperialis* formula ante oculos obversatur, quae summum Regis imperium notat, quia Imperatores Augusti regio titulo Italiam habent, quamvis eo, salvis regni Italici iuribus, non utantur, more seculorum veterum, quae titulorum parciora erant, & in uno Imperatoris Augusti titulo, ut qui sanctitate & splendore omnes Regum titulos vinceret, acquiescebant; in iuribus autem privilegiisque *imperiali auctoritate* concedendis, regnum quoque exprimebant, & *imperiali beneficio, ac regni nomine, regalia* possideri testabantur, *in tabulis passim, & apud Radevicum cit. loco.*

XIV. Verum dignitates illae eminentes, & iura, quae *regalium* appellatione iam pridem curia insignivit, nondum ea tempestate universam ditio- nem complectebantur. Certis enim definitisque partibus constabant, neque ad eam maturitatem pervenerant, ut tantam potestatem absolverent, quanta quidem *territorii* nomine continetur. Clarum certumque huius rei documentum est, quod diu post Friderici I. excessum, Henricus Lucelburgicus, Imperator huius nominis VII. ius numi-
cuden-

audendi seorsim ab aliis iuribus concessit, quod scriptum reliquit *Conradus Vecerius. Spinulae*, inquit, *Marchionique Montisferrati cum alia dignationum genera, tum ius monetae audendae tribuit, apud Vrstisium in vita Henrici VII.* Non hic ius, quod potestate *territorii* definitur, attributum est, nec dominium, aut iurisdic-tio per omne *territorium* patens concessa, propterea quod speciatim *ius monetae* indicatur, neque ultra fines, quibus *concessio* illa circumscribitur, proferri debet. *Dignationes* quoque non afferunt ius in *territorium*, sed ad munia & honores spectant, ab ea tamen potestate & *sublimitate*, quae *superioritas* dicitur, seiunctos.

XV. Ducatus, *Marchiae*, Comitatus, non eo, quo postea, nexu proceribus astringebantur, sed vicaria quaedam ac praefinita potestate regebantur, & Regum voluntate beneficioque, sine iure *territorii*, conferebantur, atque adeo sine *regalibus*, quae *territorium* deposcit & continet, possidebantur. Deinde cessavit haec regendi ratio, & praefecturis in dominia versis, dignitates illae cum *territorio* & *regalibus* copulatae sunt, ac perpetuae fieri coeperunt. Nec tamen defuerunt, qui dominatum concupiscerent, & administratione abutentes, multa supra conditionem suam captarent. Ecelinus, quem Gvelficarum scriptores partium odio habent, an-

tiqvas Italiae vrbes pro Imperatore rexit, nec alia, quam vicaria potestate functus est, atqve ad curanda & conficienda Imperatoris mandata se astringit, cum apud eum de administrationis vitio deferretur. Tunc ait. *Mandata D. Imperatoris* (Friederici II.) *firmamente tenebo.* *Antonius Godus Chron. p. 47.* Quem alii tyrannum vocant, etiam si pro iure Imperatoris regio bellum gesserit, defectio nemqve urbium acriter castigavit. *Monachus Paduanus Chron. lib. I.* *Nicolaus Smeregus Chron. p. 59.* qui factioni Gvelficae student, quos incaute alii, maxime recentiores, & Muretus in super metachronismum committens, sequuntur. Erat quidem Ecelinus vehemens, & ulciscendo nimius, sed Imperatoris partes secutus, & Gvelfico nomini infensus pariter invisusqve. Haud aliter cum Palavicino actum est, qui pari constantia Gvelfis, ac sociis eorum Atestinis restitit, nec modo nihil de regio Imperatoris iure detraxit, sed quoque summam eius in regno Italiae auctoritatem defendit, & ut Paduanus loquitur, *coepit Ecelini vestigia imitari. Chron. lib. II. fin.* Nec vero vrbes factionibus turbatae, a regno se disiunxerunt, cum vicariis Regum imperiis, *salvo erga Reges vinculo*, obniterentur. Quod tempore Gvidonis Turriani evenit, contra quem Vrbs Mediolanensis, excito e Germania Henrico VII. auxilium imploravit, eumqve libera-

beratorem & vindicem expetiit, & accepit. *Calchi Continuator Ripamontius decad. III. lib. I. p. 60.*

XVI. Habet adeo Italia unum Regem, & unum dominum, iudicemque summum, cuius imperium per universam patet Italiam, regni iure constitutam. Quo tenentur omnes Italiae Principes, & vrbes a principum dominio exemptae eodem obligantur, atque ut *naturali domino* suo devinciuntur, iure nimirum per Ottonem M. fundato, perque Fridericum Aenobarbum solenniter instaurato, quod constante Italiae regno manet, & soluto clientelae nexu, remissoque huius nomine sacramento, nunquam solvitur, nec mutatur, argumento perpetuae & indissolubilis, quae ex illo imperio oritur, obligationis. Hanc profitentur Legati Urbium, & summae Regum potestati se subiectas esse testantur. *Tui sumus, te dante provinciam, vrbesque regimus: tibi pecunia & milite, ubi opus est, praesto sumus.* Hinc non modo *Dominum* appellant Caesarem, sed & *naturalem Dominum* agnoscunt, & *reditus, iustitiae administrationem, libertatem* (certam & circumscriptam) *non indita* (quam naturalis subiectio respuit) *sed data* (concessa & donata) *non usurpata* (sine fraude & vitio quaesita) *sed a Caesaribus accepta iactamus*, id est, bono titulo, nec iure Imperii delibato, nos

nos possidere gloriamur: *apud Antonium Posse-
vinum omnino haec recte ex Actis Friderici I.
& Radevici historia colligentem, Gonzagae lib.
II. p. 133.*

XVII. Quare nihil summo Regum imperio ad-
emptum est, ne tunc quidem, cum intestinis pro-
cerum dissidiis Italia laboraret. Rudolphus I. eam
non ingressus est, quod rerum Germanicarum fat-
agens, regnum illud per vicarios regebat, & consi-
lio plus, quam armis pro illo tempore efficiebat.
Albertus bello civili impeditus, cis Alpes substitit, &
pristino in statu omnia reliquit, certe nullam regii
imperii partem vendidit, aut abalienavit. Post u-
trumque Henricus VII. iure suo usus est, & auctori-
tate regia urbium controversias decidit, factiones
compescuit, & urbibus rectores dedit, vicariosque
instituit, Gvidonem Turrianum, dominatui inhian-
tem, ad privatam conditionem redegit, Matthaeum
Vicecomitem sibi obsequentem habuit, sed postea
suspectum exilio mulctavit, eumque, conciliante
Garbiniatensi, restituit, atque hoc deinde initium
& gradus fuit ad potestatem vicaria maiorem, quam
ea occasione Galeacii, salvo Regum iure, obtinue-
runt. Adhuc supersunt *Imperatorum epistolae,*
ad Vicarios & urbes regni Italici perscriptae,
summi vim dominii comprobantes, ut vel harum
documento purgetur Rudolphus, huius nominis pri-
mus,

mus, & prodigalitatē, quam recentiores nullo idoneo teste memorant, absolvatur. *Langobardia* propria, quae verum & vetus, imo praecipuum huius regni membrum est, Henricum Caesarem trans Alpes venientem libenter suscepit, & fide officioque cultum, in primario urbis Mediolanensis templo Regem inauguravit. *V. Corius, Vecerius, & Ripamontius*. Inde Apennini iuga transcendit, & emendato Langobardiae statu, urbes provinciales obiit, & ius regium confirmavit. *Liguria*, quae a Varo fl. ad Macram patet, Henrico obediens fuit, huiusque caput Genua eum *principem dominumque* appellavit. *Apud Vecerium d. l.* Fatetur quidem *P. Bizarus*, urbem & universam Liguriam iurisiurandi sacramento se obstrinxisse Caesari, sed perperam tradit, primum hunc fuisse externum dominum, quem Regem & *naturalem* dominum, cuius in ditione & potestate erant, appellare debuisset, eo modo, quo aliae, & Regi obsequentes urbes, *Dominum nostrum*, summi regiique dominii argumento appellant, *Hist. Genuens. l. V. p. 98.* Eodem iure *Sardinia*, quae saepe suos mutavit dominos, & postremo ad Aragonios pervenit, Liguribus relicta, fiduciario nomine ab Imperatore Ahenobarbo concessa. *Vb. Foliet a hist. Genuens. l. II.* Nec vero *Tusciam* neglexit, quam nobile Imperii membrum vocat *Petrus de Vineis l. V. ep. 126.*

C

Ante

Ante alias Tusciae vrbes, *Pisana* praepotens, & re-
navali florens, fidei inprimis suae, & religionis me-
mor, *Regem accepit, dominumque* consalutavit,
ut Vecerius affirmat. Reliqua Etruriae oppida,
quae imperata non faciebant, officiumque desere-
bant, ut perduelles mulctavit, et bello persecutus
est, Castellionem Etruscam armis subegit, Corbo-
nam Aretiumque adventus sui fama terruit pariter
ac inflexit, ut appropinquanti obviam irent, man-
dataque obedienter curarent. Iam Florentiae, ex-
pugnatis arcibus & castellis proximis, imminebat,
reversusque Pisas, severa in rebelles Tuscos edicta
promulgabat, haud dubie executurus, si produxisset
vitam. *Vecerius c. l. Tabulae apud Mussatum*
extant, in quibus Tuscia inter subditas imperii
Romani provincias numeratur, lib. XIII. de
gestis Henrici VII. Caesaris.

XIIX. Omnino res sacri imperii agitur, cuius iura
servari par est, &, quum necessitas postulat, vi ar-
misque defendi, hoc magis, quod Imperatores sua
potestate res Italiae constituunt, dummodo nihil au-
ferri & abalienari patiantur. Quo ex capite *Apu-*
lia quoque Imperio obligata est, in cuius Regem
Imperator lege perduellionis animadvertit, quod
foedus ad suam & Imperii contumeliam pepigisset,
Tusciamque Imperii provinciam, in factiones & stu-
dia partium distraxisset. Iure summae potestatis
Impe-

Imperator sententiam tulit, ac pronunciavit, Robertum Apuliae Regem, *ob laesam maiestatem Romani Imperii paternoregno, provincialique Comitatu excidisse. Vecerius in vita Henrici p. 72. Vrstisiana editionis.* Ante hunc *Nicolaus Specialis*, illorum scriptor temporum, & quod caput rei est, *Neti* in Sicilia natus, de Roberto tradit, eum hostem imperii iudicatum, & causa cognita, criminis atrocissimi damnatum. *Hic autem* (Henricus Imp.) *asserens Robertum Regem esse Vassallum Imperii, eum tanquam contumacem, atque suae imperiali coronationi apud eandem urbem (Romam) per Ioannem fratrem eius, & alios armata manu hostiliter & multa effusione sanguinis obsistentem, pluresque civitates & terras (Etruriae, & aliquas Lombardiae, Florentiam, Senas, Lucam, Pistorium, Bononiam, Cremonam, Brixiam) ab imperio suasionem multiplici revocantem, hostem reipublicae (Imperii) nominavit, & tanquam reum criminis laesae maiestatis Caesariae sententialiter* (de consilii sententia, ut *Vecerius*) *condemnavit. Rerum Sicularum l. VII. c. 1.* Sententiam Pisis latam, in tertium decimum historiae librum retulit *Albertinus Musfatus, p. 70. seq.* Non hic tantum perfidia & simplex delictum, sed maximum illud crimen, quod fidem simul & obsequium solvit, describitur, cuius-

C 2

modi

modi est *laesae maiestatis*, quod non merus princeps beneficiarius, sed imperio subiectus committit. Duplicem hic personam sustinet Henricus, unam qua Imperator & Rex Italiae, alteram qua Rex transalpinus & Arelatensis; illius enim ratione Apuliam & Calabriam, huius argumento Comitatum Provinciae Roberto abiudicavit, & utroque modo summam potestatem, quamvis ex diverso habendi iure, haud obscure ostendit.

XIX. Praeterea hunc Imperatorem *Sicilia* propria, quae trans fretum est, maximopere coluit, comiterque habuit, & munere dato, pecuniaque missa, ius agnovisse visa est, quod Henricus VI. Hohenstauffius connubio quaesitum, suo primum auspicio ad Romanorum imperium adiunxit. *Legati*, inquit *Venerius*, *a Rege Siciliae Friderico* (huius nominis II.) *mari deportati, donum aureorum millia viginti adferunt, foedus amicitiamque petentes.* Cuius foederis ea ratio fuit, ut praecipuam Imperatori dignitatem relinqueret, et maiestatis comiter conservandae fundamento niteretur. Hoc iure Imperator Regem bello navali praeposuit, & summum maris, quod Italiam alluit, praefectum constituit, ut Robertum perduellionis reum infestaret, & regno everteret, suo & imperii nomine ultor futurus. In hanc sententiam scribit auctor *Siculus Specialis*. *Friderico Regi, quem iam praefecerat Admiratum*

tum (Archithalassum) imperii, bellum Roberto Regi indicere, atque terram, quam tenebat, invadere imperiali, quaungebatur, auctoritate mandavit. Quae satis indicant, Fridericum adeo non oblitum esse pristini Imperatorum iuris, ut contra susciperet partes ab Imperatore sibi demandatas, & huius adeo auspiciis praecesset classi, quod sane aequo foedere fieri non potuisset.

XX. Cum vero haec belli navalis praefectura ad mare inprimis Tyrrhenum & inferum spectaret, tum de Adriatico submonendum est, eius ratione Venetos Imperatorem adhuc reveritos videri; quorsum pertinet Vecerii testimonium hoc loco non praetermittendum. *Idem Episcopus* (Genevensis, Imperatoris Henrici VII. cognatus) *profectus Venetias, tributum pro veteri consuetudine postulavit. Appulso ingens honor habitus, adnumerataque in triaram Romanam talenta Veneta mille.* Quod documento sit, Imperatores summo dominio non tantum continentem regni Cisalpini, sed etiam *stagna Adriatica* & insulas eius nominis complecti voluisse, & ut in aliis Italiae civitatibus, sic Venetiis etiam ius sibi reservasse, cumque ob inaugurationem Caesaream expeditiones Romam susciperent, annonam & pecuniam flagitasse, ac in omnibus immunitatum & privilegiorum concessionibus atque confirmationibus sigillatim excepisse



fodrum regale & consuetum, quod nec ipse Si-
gonius, veritate victus diffiteri potuit ac dissimulare.
Illud pro certo affirmandum est, Venetos ad haec us-
que tempora nihil in Continente Italiae sibi vindi-
casse, nec dum possedisse Continentis vrbes, *Tarvisi-
um, & Tarvisinam Marchiam, Patavium, Bri-
xiam, Vicentiam, Veronam, Bergamum*, regno
Italiae per vim subtractas, at nulla iuris cessione aba-
lienatas. Quod de Henrico satis constat, cuius edi-
ctum *per universas & singulas Lombardiae ac
Marchiae Tarvisinae civitates exiisse, confir-
mat Mussatus l.V.*

XXI. Ergo Italia omnis, ne maritima quidem
excepta, a principio regni Karolini, & hoc sublato,
ab initio Ottoniani, sub iure Imperii constituta est,
cum parendi, & praestandi muneris, quod impe-
ranti debetur, obligatione, per leges & consuetudi-
nem inducta, quae tam firma est & stabilis, quam
ipsa haec potestas, unde vis obligandi proficiscitur,
perpetua est, & semper manet. Etenim hoc regnum
novis Germaniae auspiciis coeptum, non ex Karoli-
no derivatum, neque ex ruinis eius instauratum, &
postliminio restitutum, neque cum familia regnan-
te, ut apud secundae stirpis Francos erat, sed cum na-
tione, quae nunquam tota interit, nexum, atque ex
prima origine & contextu suo aestimatum, *origi-
nariae* Urbis libertati officit, nec sui plane iuris & ar-
bitrii

bitrii relinquit. Indicio huius rei sunt privilegia, quibus maiestas agnoscitur, ab Imperatoribus concessa, & obligatio curandi res, ad iter Caesareum necessarias, quae in annona & pensione transituque tuto praestando, consistebant, & redintegrata cum Lombardis ac Venetis pace, expressa Imperatoris stipulatione excipiebantur. Cuius formula confessionis extat *apud Sigonium de regno Italiae lib. XIV. p. 338.* Sed naves praebuisse non lego, maiori, ut colligere est, immunitatis argumento, quod Pisanos tamen & Genuenses fecisse constat, cum vrbes in continente addictius regerentur. Post Henrici tempora, maxime post annum MCCCXXC. victis ad Fossam Clodiam Genuensibus, & classe eorum viribusque deletis, potentia navalis, & opes Urbis auctae, contra vicinorum in continente robur infractum, aut aemulatione distractum, & exinde *fordrum regale & consuetum* exigi desitum, nunquam tamen, nec Lucelburgicis regnantibus, vrbi remissum & cessum, multo minus a Ruperto horum successore alienatum, cuius adversam apud Insubres fortunam subsecuta quidem est insignis rerum commutatio, & Galeacios extulit, Venetosque patefacto iam in Lombardiam aditu, ad proferendos fines erexit. *Mussatus lib. II. de gestis Italicorum post Henricum VII.* Quae tamen eiusmodi videntur esse, ut urbem ab antiquo Italiae regno non prorsus excludant,

dant, sed eam in conditione praestandi *fodri & consueti* relinquant, & in acqvirendo iure bonam fidem, in agnoscendo veritatem exposcant. Diuturna Caesarum absentia nullam Caesarei Imperii cessionem indicat, nec pristinum dominum mutat, quamvis hac occasione *novos Italia Principes, Gonzagas & Atestinos sortita sit, auctore Sabellico decad. II. lib. I.* Non tamen ideo positi sunt extra fines regni, aut constituti extra ius Imperii, imo ne veri quidem ac legitimi habitiant ante concessionem & confirmationem Caesaream, quod de Francisco Sfortia constat, quem ea de causa *tyrannum & novum hominem* nominavit Fridericus III. (aliis IV.) Imperator. Agnovit deinde possessionis vitium, & affirmavit, *terram Lombardiae Caesaris nomine se tenere, apud Aeneam Sylvium in historia Friderici III.* Eisdem Imperatori fidem obstrinxit Borsius, & impetrato Mutinae Regiique ducis titulo, obsequium devinxit, quod *Aeneas Senensis testatur.* Haec & alia iuris Caesarei argumenta Urbem admonent, ut maiestatem Caesaris minime negligat, maxime obtractus & oppida continentis, quorum nomine id fieri par est, ne in mala fide, quae labem possessioni affert, constituatur. Nam quae magistratibus & non dominis, aut dominis fiduciaria lege summae potestati devinctis erepta possidentur, neque ullo voluntatis signo cessa intelliguntur, neque inconsulto,

to,

to, nec refragante summo principe cedi alienarive
possunt, haec omnia eius generis sunt, ut possiden-
tis animo religionem iniiciant, conscientiamque u-
surpantis dubiam reddant, et transferendi adeo do-
minii facultatem non concedant. Sigismundus ni-
hil praeter Patavii, Brixiae & Bergami *vicariatum*
assignavit: Fridericus III. Romam profecturus, vr-
bem transiit, & omni officio cultus est, cui Dux Fran-
ciscus Fuscarus *devotam populi mentem* commen-
datam esse voluit, *quod sigillatim annotavit hi-*
storicus Senensis, in vita Friderici Imp. p. 97.
Iustinianus Urbis legatus Maximiliano Caesari, ut
imminens Caesaris bellum averteret, senatus de re-
stitutione sententiam aperuit, & promotos a conti-
nentis ora fines ad Imperii ducatusque Austriae de-
trimentum pertinere, haudquaquam dissimulavit,
& urbem omnium, quae in continenti possideat, iu-
ri renunciaturam, publicae voluntatis interpretes di-
xit. *lib. VIII. hist. Franc. Guicciardini.* Verita-
tem rei gestae firmat *Ludovicus Tubero*, & scripto-
ri Florentino, cuius hic fidem multi suspectam ha-
bent, permagnum pondus affert, ingenue scribens,
voluisse omnibus Italiae urbibus, totoque conti-
nenti cedere, & insuper quinquaginta millia
nummum, quae in singulos annos penderent, pro-
misisse: de temporibus suis lib. IX. p. 245. Ne-
que enim vrbes illae religione obsequii se exolvere
bs D potu-

potuerunt; Caesares autem eo minus pristinum in
eas ius amiserunt, quod Vicariis & fiduciariis dominis
Ludovico Deckio, Scalanis, Sfortiis, & obligatis
sacramento clientibus ademptae sunt, salvis tamen
rationibus Caesarum, quippe summorum & *naturalium*
Italiae dominorum, qui omnem alienandi
suspicionem evitarunt, & a cessione iuris Caesarei
constanter abhorruerunt, nec modo retinendi, sed
etiam, si quaedam erepta essent, repetendi volunta-
tem signis bene multis declararunt. Haud dubitan-
dum est, quin reverentia eorum, qui ita possident, a-
nimos subeat, ut Caesares, nondum remisso in me-
diterraneas vrbes nexu, fide & officiis colant, & profe-
rendorum finium ergo nihil turbent, memores illo-
rum temporum, quibus fines non ultra insulas &
stagna vrbis patebant.

XXII. Extant publicae Imperatorum tabulae, &
clientelarum regni Italici indices, quibus nomina vr-
bium fide & obsequio Imperatoribus devinctarum
continentur. At in novissima *Gerzuvveileri* de-
signatione plures clientelae & vrbes, quae ad impe-
rium ac regnum Italiae pertinent, omissae sunt, vel
quia superiori statu mutato, erant in ditione princi-
pum, vel quia privilegiis & immunitate munerum,
quibus tunc perquirendis non suppetebat otium, se-
tueri cupiebant: vel quia ob inopiam & difficultates
numarias, salva in eas summa imperii iurisdictione,
ad

ad tempus negligebantur: Caesari nihilominus se audientes esse confirmabant, summamque eius auctoritatem agnoscebant: reliquarum nomine principes & respublicae Caesari tanquam summo capiti tenebantur. Sigillatim tractus ducatusque *Lombardiae*, est provincia antiquae nobilis, & pars *Romani Imperii* preciosa, in rescripto *Friderici II.* apud *Goldastum t. II. p. 51.* Qua de causa *Mediolanum Imperatoris & Imperii patrimonium* dicitur, *R. I. 1542. §. 3.* Quin & *Finarium, Marchionatus* honore praeditum, est verum regni *Italici* membrum, sententia *Caroli V.* post longam litis concertationem, victis iudicio, quos *Jacobus Menochius* defendit, *Liguribus*, confirmatum. Ducatum hunc *Ludovicus Boioarus*, sublato *Vicecomitum* principatu, in ditionem redegit, veterumque *Imperatorum* exempla secutus, provinciam fecit, teste *Mussato in Ludovico Bav.* Sed postea cum *Vicecomitibus* in gratiam rediit, & *Azonem* cum *Vicarii* potestate constitutum, liberaliterque habitum, maioribus quoque beneficiis ornavit. *Ripamontius dec. III. l. 2. p. 145.* *Luzelburgici* etiam cumulatam liberalitatem noti, summa nihilominus *Lombardiae* iura servarunt, nec regni eius, cui dictus principatus subest, curam abiecerunt. Docet hoc firmatque liber, *Notitia status Etruriae*, inscriptus, & imperante *Carolo IV.*

confectus, quo fidelium Caesarique obsequentium civitatum & castrorum nomina posteritatis memoriae traduntur, & perfidiae simul ac perduellionis reae vrbes, iure Imperatorum Regumque integro, designantur. De *Senis*, & pluribus Tusciae locis regno Italiae comprehensis, sive per se Dux Mediolanensis possideat, sive aliis titulo fiduciario concedat, imperio devincitur. *Apulia* ut se habeat, supra attigi, cuius repetendae causa Henricus VII. & hoc mortuo, Ludovicus Boioarus, armis experiri voluerunt. De altero testes protuli, de altero tradit Albertus Argentinensis. *Ludovicus* (IV. Imp.) *terram Roberti Regis, scilicet Apuliam, ingredi intendebat. Robertus quoque collectis omnibus terram illam relinquere, si Caesar accelerasset, & in provinciam intenderat se transferre. Chron. p. 124. Albertinus Mussatus in Ludovico Bav. p. 6.* Huius, quod apparavit, belli causa non aliunde sumpta est, quam a violata imperantis auctoritate sanctissima, & utique a spreta *sacro sancti Imperii* summa, qua ad Apuliam pertinet, iurisdictione. De eiecto ex Apulia Rogerio, & iure per Lotharium II. vindicato, legendus est *Otto Frisingensi Chron. l. VII. c. 20.*

XXIII. Taurinorum principatus ad Italiam spectat, quem veteres Langobardi, *ducatus* titulo, in ditione sua habuerunt, inter quos non piget huc refer-

referre Agilulfum, & Garibaldum Taurinorum duces, quorum meminit *Paulus Diaconus de gestis Longobard. l. III. c. 30. & l. IV. c. 53. ex eo Leander Albertus in descriptione Italiae, speciatim in Taurinis.* Franci deinde & Saxones per magistratus & vicarios huius ditionis populum rexerunt, & Taurinorum vrbi praefectos imposuerunt, quod de Henrico V I. tradit *Mussatus in vita eiusdem l. 1. p. 3.* Illi Caesarum, pro quibus curabant, beneficio Comites facti, & *Marchiones* dicti sunt, quod custodirent claustra Alpium, quibus Italia aditur. Ita coepit & institutus est *Pedemontis* principatus, extra Sabaudiae fines in Gallia subalpina, & in ipsa adeo Italia Langobardica, cuius partem cis & trans Padum complectitur, acquisitus. Apte distinguit *Mussatus*, & indicat tractus in duo regna descriptos, ac diverso iure & ditione comprehensos. *Ameus* (Amedaeus Comes huius nominis III. qui Henricum VII. Alpes transeuntem comitatus est) *Comes Sabaudiae* (in regno Arelatensi Germanicae ditionis) *provinciae Longobardiae* (in regno Italiae) *Comes, de gestis Henrici VII. l. IV. p. 22.* Vterque comitatus in principatum versus est, quorum alter *ducatus* titulo in tractu Allobrogum & Sabaudia, alter apud in alpinos, quorum caput Augusta Taurinorum est, constitutus, coniunctam habet dignitatem *Vicarii* per Italiam generalis, Thomae Allobrogum regulo,

Pedemontis Comitatum adepto, Friderici II. auspicio concessam, sed primum a Sigismundo cum novo ducis Sabaudiae titulo, Amedaeo VIII. attributam, & perpetuo habendi iure confirmatam, quae post varias superiorum temporum vicissitudines, ancipitemque Caroli Emmanuelis II. fidem, summi auctoritate Principis adempta & reddita, atque in Caesareae pactiois formulam relata, propterea quod eam Duci postliunio restituendam *Electores* ab eligendo Imperatore stipulati sunt, in *Capitul. Leopold. §. 4. Et novissima Capit. Iosephi Regis Roman. §. 4.* adiecta, quae fidem ducis obligat, clausula, ut Caesareis mandatis, inhibendi & avocandi causa editis, morem gerat, quoniam Caesar nihilominus in hodierno Duce Victore Amadaeo II. constantiam foedere & fideli officio dignam merito requirit. Is ceteroquin in Gallia subalpina *Dux* est propter *Salassios*, Italiae transpadanae populos, ubi *Augusta Praetoria*, praecipua urbium, & caput gentis. *Marchionatus Italiae Vicariatus* muneri per commodum, atque ob situm loci, transitusque opportunitatem huius familiae Ducibus concessus & collatus, manifestum est Caesarei iuris documentum. Mons Ferratus, Italiae Cispadanae principatus, sententia Caroli V. Imp. Carolo III. Allobrogum duci abiudicatus est, sed litem iudicio Caesaris sopitam, & denuo excitatam, pactio Ratisbonae, & Clarasci

rasci inita finiit, ac novissime pax Vestphalica firmavit. *P. Bizarus, Ant. Possevinus, Ripamontius, Instr. pac. Monaster. §. Item ne controversiae, Capitul. Leopoldi, & Iosephi §. cit.* Omnia huius Ducis iura, beneficio Caesarum constant, & possessiones quaedam, nexu beneficiario solutae, continentur imperio Caesaris, quod remisso clientelae vinculo, adhuc iure summae potestatis manet.

XXIV. Mantuae ducatus beneficio & fide Caesari obligatus est; *Marchionatum* Sigismundus instituit, quem alii ad ultima Ottonis M. tempora reiciunt, nulla veterum auctoritate, iudiciis etiam contrariis, quae vitium *Ottoniani diplomatis* produnt. Antea enim in ea vrbe comites & vicarii Caesarum *potestatis* titulo curarunt, & probato Caesaribus obsequio, potentiam simul & dignitatem auxerunt, cumque illi principum Italiae lites dirimerent, causa cognita, plerumque Gonzagae duces vicerunt, & fide non suspecta, officiisque sinceris summos augusti nominis Principes sibi devinxerunt. Sed Carolus Gonzaga Nivernius, cum Ferdinandi II. auctoritatem negligere, legibus & armis ad obsequium redactus, Caesari sacramento fidem obstrinxit, ab eoque tempore Vincentio II. agnato legitime successit. Hodiernus Dux Carolus IV. inconsulto beneficii domino, Urbem Casalensem externo regi vendidit, atque ab officio fiduciarii Principis discessit, quam
Caesar

Caesar superiore anno suis foederatorumque armis
recepit, adituque Padi firmato, quietem Italiae &
pacem denuo stabilivit. *De rebus Mantuanis le-*
gendi Iulianus Gosellinus, Antonius Possevi-
nus, Baptista Sacchus, in eumque P. Lambe-
cus, de bello Mantuano Vassebergius, aliique.
Eandem obsequii gloriam Caesari debet *Guardi-*
stallum, ducatus honore praeditum, iure & ditione
cum ducatu Mantuae denuo coniunctum, *Gvastal-*
la hodie nominatur. Novellaria, Italis *Novellara*,
cum principatu huius nominis, perinde ac Mantua-
nus, cum quo necessitudinem habet, legibus imperii
tenetur. Quorsum spectant *Bozolum & Castellio*
Stiverorum, vulgo Bozzolo, & Castiglione.

XXV. Mutina ab initio regni Langobardici ma-
iestatem Imperatoris coluit, & mutato Vicariorum
regimine, duces accepit, praemiumque fidei ae-
que ac *Regium* tulit. Primus Dux Mutinae & Re-
gii constitutus est Borsius, Marchio Atestinus, a Fri-
derico III. illac transeunte, ad novam dignitatem eve-
ctus. *Aeneas Sylvius in vita Friderici p. 94. Io.*
Baptista Pigna histor. l. VII. Legitima Borsii so-
boles defecit in Alfonso II. & uterque adeo ducatus
ad Imperatorem iure *caduci* pervenit, sed Rudol-
phus II. successionem impertitus est *Caesari Ate-*
stino, Alfonsi nothi filio, sub lege fidelis obsequii,
quod Imperatori & Regi Italiae debetur. Contra
fecit

fecit nuper Francis I. & spreta Ferdinandi III. auctoritate, milites ad oppugnandos Insubres in aciem eduxit, ducatumque finitimum externo transalpini Regis auxilio nixus vastavit. Idcirco Ferdinandus pro constituenda Italiae pace annitens, remedium ei malo paravit, & ni ab armis desisteret, poena amissionis beneficiorum, & proscriptionis publicae denunciata, exemplum Henrici VII. secutus, a proposito retraxit Ducem. *V. post Aeneam, Guicciardinum, Pignam, Alf. Loschi, & auctor de iustitia armorum Imp. contra Mutinae Regniqve Ducem, & discussio querelarum, pro defensione Imperatoris scripta.*

XXVI. Etruriae Ducatus consilio & opibus Mediceis fundatus, & auspicio beneficioque Caroli V. constitutus, annitente in primis Clemente VII. ut gentis suae potentiam in pervetusta & splendida Etruscorum vrbe confirmaret. Respondit huius consilio eventus, & *Florentiae*, armis ad obsequium redactae, pro summo Caesaris in urbem imperio Alexander Mediceus, Laurentii filius, dux impositus, eoque caeso Cosmus, principatum urbis volente etiam populo adeptus, *Senarum* urbem, in fundo imperii sitam, adiecit, ea lege, ut Regis Hispaniae beneficio urbem & agrum possideret deinceps & agnosceret; Rex autem eo nomine Imperio, nemine interiecto, beneficiarius maneret. Clientela ergo Senensis est *sub-*
E *feudi*

feudi iure constituta, & cum imperio, ad quod per-
tinet, & a quo Hispanus suscipit, etiamnum coniun-
cta. Igitur decreto Pii V. intercessum est, quo
hic Cosmum Hetruriae Regem appellare voluit, ob-
nitente Maximiliano II. auctoritatis suae, & Imperii
causa, quod unus ille Imperator Augustus, & Rex Ita-
liae esset, neque alius in Italia *imperiali* & *regia*
principes creare, aut principibus ius dicere, & tribuere
dignitates principales posset. Res tandem eo deducta
est, ut Cosmus in magni Ducis titulo acquiesceret, &
Hetruria, quae nunquam duces, aliquando Mar-
chiones sub Regum potestate habuit, in conditione
& fortuna magni ducatus permaneret. Nihilo ma-
gis *Pisanae* urbis iuri renunciatum est, quae Impe-
ratores omni honore cultuque affecit, etiam Ludovi-
cum IV. acerrimi iuris Caesarei vindicem, ut est a-
pud Mustatum. *Pisas*, inquit, *ubi Ludovici obedi-*
entia, & fides imperii servabatur. in Ludov. Bav.
p. 5. Nec vero Austrii, urbem agrumque Pisanum
a regno Italiae abstraxerunt, neque summam eius
potestatem in Mediceos transtulerunt, nec per leges
Imperii transferre potuerunt, quippe quas ipsimet
Austrii possessoribus malae fidei saepe obiecerunt.
Facebant igitur & valeant nugigeruli isti, qui Tusciae
Liguriaeqve urbes a Rudolpho I. venditas, & Ita-
liam fere reliquam a Luzelburgicis venundatam at-
que abalienatam, audaci, & animadversione digna
licen-

licentia scribunt. Ex Thuano gravi, & rerum perito scriptore liquet, Cosmum pro fiduciario Imperii principem habitum semper & agnitum, eiusque filium & successorem Franciscum, in paterna dignitate & magno Etruriae ducatu a Maximiliano II. Caesare confirmatum, quod nemo sit, quin existimet, a summo directoque Caesaris dominio proficisci. *Histor. lib. LIV. & LX.* Nihil addo de oppidis, & dominiis minoribus aliis, quae magnus Dux proxime, aut remote beneficio Imperii agnoscit. Similiter atque se res habet cum *Ilva*, maris Tyrrheni insula, cuius partem, & nominatim oppidum portumque Ferrarium eodem iure, sed interveniente beneficiario propiore tenet, atque huius domini ratione *sub-vasallus* Imperii constituitur, & usu tribunalium vocatur.

XXVII. Parma & Placentia in solo Langobardico sitae, & diu in ducatum Langobardici nominis conflatae, at postea velut soluta compage separatae sunt, atque ad ditionem Pontificiam traductae, neque sic tamen prorsus a iure Imperii exemptae. Urbium harum ea quondam conditio fuit, ut a vicariis & potestatibus, quemadmodum aliae regni Italici urbes, regerentur, eaque de causa inter Langobardicas, & Caesarum nomine imperioque constitutas referrentur. Parmenses Ludovico IV. Imp. fideles extitisse, narrat *Mussatus in eo, p. 8.* Placentiam Mediolano adiectam, res Maphaei *Viccomitis* confirmant, quam iure huius ducatus repetiit, ac reddi postulavit Carolus V. quod ex *Gvicciardino & Thuano constat.* Praeter duos hos ducatus alias clientelas, & sine dubitatione Imperio devinctas habent, quas Imperatorum concessu accipiunt, & conservant. Omitto reliquos, & minores Italiae Principes, Imperatorum au-
Etori-

Et oritate beneficioque constitutos, & fide ac sacramenti religione Imperatoribus devinctos, aut remote saltem, interiecto propiore aliquo principe, clientelae vinculo illigatos, omnes tamen arctissima officiorum necessitudine capiti suo coniunctos, & uno, quod neminem excipit, Imperio comprehensos. Quo loco numeroque sunt cuncti duces & principes, quos universa quidem Langobardia habet, quos Gallia Cisalpina & Subalpina citra atque ultra Padum includit, quos Liguria & Etruria, non exclusis Genua & Luca urbibus, continet, quos denique omnes regni Veteris Italici reliquiae trans Apenninum complectuntur. Magnum ergo decus, nostra memoria, ad Germaniam accessit, quod LEOPOLDVS, instaurata per Italiam auctoritate, & recepto ad Padum castro *Casalensi*, regnum illud in obsequio confirmatum, ab externo dominatu liberavit, ac iure suo regio, quod in Italia obtinet, usus est, & collationes belli Italici causa imperavit, *Xenia* antiquo, necdum antiquato Imperatorum iure exegit, lites Principum Italiae diremit, negotia successionis, tutelae, legibus composuit, regionum & finium controversias decidit, deque omnibus ad *regalia* pertinentibus more maiorum cognovit & iudicavit, ac munere tam iusto, quam omnibus Augustis glorioso perfunctus, non modo nullum *derelicti* signum, sed nullam quoque *derelinquendi* suspicionem praebuit, constituto per Italiam *fisci Imperialis Advocato*, ac demandatis Comiti Mediobarbo partibus, quas pro fide sua, & dignitate publica sustineret, regnique Italici clientelas, & partes earum atque accessiones, ex superiorum temporum caligine in lucem revocaret, perquireret, & summo Italiae iudici denunciaret: cuius rei, vindicatioque Caesarei ultra Alpes & Apenninum iuris monumentum Augusto vindici aeternum apud posteros extabit, & omnes quotquot futuri sunt, successores admonebit, AVGVSTOS non minuere Imperium, sed augere, id quod ante Leopoldum dixit, & simili exemplo comprobavit Fridericus IV.

ex augusta Austriorum gente
Imperator.

NOBILISSIMO IUVENI,
THEOPHILO
AGRICOLAE,
RATISBONENSI,

in disputationem publicam ingressuro,
gratulatur

VITEMBERGAE SAXONVM
C. S. SCHVRZFLEISCHIVS.

PRIDIE NON. MART.
A. clo lcc XCVII.

praelo KREVSIGIANO.



BOnam, et cum boni civis fide
coniunctam tueris causam, ad
quam non petulantia ingenii,
sed amore patriae, et veritatis fi-
ducia accedis, laetumque adeo huius
rei exitum speras, neque armis, quo-
rum in hoc certamine nullus usus est,
sed argumentis Augusti iura defendis.
Assentior tibi, in hac cura & medita-
tione optima defixo, proboque studi-
um in refellendis quorundam invete-
ratis erroribus, qui credulorum animis
tenebras offundunt densissimas, quas
non facile, nisi accenso historiae lumi-
ne, dissipemus ac depellamus. Qui se-
cus faciunt, illorum similes sunt, qui
aquam turbant, ut anguillas captent,
saepe

saepe tamen operam perdunt, & spe
lucri frustrantur. Gravis tibi causa
est, quamobrem hos non sequendos
putes, qui turbidos consecretantur rivu-
los, & ima summis miscent, ac vanis, at-
que incertis opinionibus omnia pertur-
bant. At horum in credendo facilitas
tibi non imponit, nec suspecta modo,
sed etiam in visa est, quam refellis, & a-
nimadversione dignam putas. Nam ob-
scuros, rerumque imperitos, & ambi-
guae fidei scriptores haud ignoras, &
accurate discernis, iudiciumque & so-
lertiam in unoquoque reputas diligen-
ter & agnoscis, ut pateat legentibus,
quo cuiusque auctoritas pondere nita-
tur. Praeter hanc variam insignemque
doctrinam, iuris artem, qua nulla in vi-
tae societate praestantior, nulla in au-
lae luce nobilior est, summa industriae
contentione excoluisti, & elegantissi-
mo-

morum civium numero adscriptus es,
atque in coetu nostro haud magis do-
ctrinae studiis, quam vita moribusque
integris eluxisti. Velint nolint cives fa-
teantur necesse est, te ab omnibus dili-
gi, modestique nomine velut proprio
appellari. Nemo te in ius vocavit, quia
innocentia tua neminem offendit; nec
quisquam tibi exprobavit aetatis li-
centiam, quia ferociam iuventutis ex
liberali coetu exterminandam iudica-
sti, & honesti pudentisque famam to-
ta vrbe nomini tuo conciliasti. Quare
non dubito, quin Proceres, quorum
auctoritate & consilio respublica ve-
stra administratur, pro sua quisque
prudencia te carum atque commen-
datum habeant, praemiisque excitent,
magis & evehant, reversumque hono-
ribus augeant, & constanti benevo-
lencia complectantur.



Gricola AUGUSTI valide dum jura tuetur,
 Officium ingenui, credite, Civis agit.
 AUGUSTO & PATRIÆ studium probat
 ille fidemqve,
 Sic PATRIA & CÆSAR præmia digna
 dabunt.

Nobiliss. Juveni LM Q. applaudit

*Jo. Georg. Neumannus, D.
 Acad. Rector.*

Ad Nob. & Ornatissimum

DN. RESPONDENTEM,

Auditorem suum valde industrium,
 dilectissimumqve.

Quem sua condecorat virtus, doctrinaqve latidat,
 Quemqve virum laudis cura, laborq; probant;
 Haud tribus illius celebratur gloria verbis,
 Hinc ego nunc satius cuncta tacere puto.
 Quæ docte in chartis his differis, illa loquantur,
 Ex animo partum gratulor inde decus.

C. H. Horn, D.P.P.

Alsonio dicis quid Cæsar possit in orbe,
 Ac Tu quid possis nobile dicit opus.

*Nobiliss. DN. RESPONDENTI
 gratul.*

*Christianus Köhrenssee / P.P.
 & Elect. Alumn. Ephorus.*

):(

I fe-



I Felix, quò fama vocat, quò pulpita ducunt,
Qua partum cupiunt amplificare decus.
Sat curis studiisque datum; nunc pulchrior exis,
Virtutemque tuam Solis in aede locas.
Applaudunt Charites, teque istà voce salutant:
Mox legum decus & nobile nomen eris.

Nobilissimo Respondenti, Amico & con-
salino suavissimo, applaudebat,

Theodorus Dassovius, LL. OO. P.P.

Nobilissimo Ornatisimog, Juveni

DN. THEOPH. AGRICOLAE,

publicè eruditè disputanti,
ex jure amicitiae

S. D.

W. T. MARTINI.

Non possum non tibi gratulari institutum,
quod summae tibi laudi futurum intelligo,
& cum rebus tuis faveo impense, tum laetor
unà vehementer, nullam de te expectatio-
nem, quam à primo inde consuetudinis nostrae initio
excitasti, augurantem hactenus fefellisse. Bene ac sa-
pienter discernis tempora, & hoc aetatis tuae spatium
prudenter dijudicas, atque cum sementinis feriis ita
componis, ut quando otiosi sunt alii, tu contra sementi
faciendae, & colendo poliendoque ingenio diligenter
incum-

incumbas. Neque verò promiscuè colligis semina, aut
quo quaeque inferantur ordine perinde habes: sed ne
admissa sint quae deligis, aut adulterina, sedulo pro-
vides, & circumspecti patris familias munere fungeris,
qui suis quaelibet temporibus distingvit, & Mensibus,
Diebus, ac Solis Lunaeque cursibus operarum ratio-
nem metitur. Quare haud grave tibi sit ad rem rusti-
cam mecum divertere paulisper, & prisco *Boni Agri-
colae* elogio ut Te compellem, veniam dare; quod tam
sanctum majoribus suis Marcus Cato fuisse testatur, ut
vel hoc solo bonum virum amplissimè laudari existi-
maverint. Velim quidem certè illum foecundissimi
animi cultum Tibi quàm faustissimum esse, atque
tam laeta seges ut magnum quondam det foenus, ma-
turisque fructibus jucundissima succedat messis, fa-
ciam vota, ac ut paleas ubique feliciter à frumento se-
pares, & pio hoc stabilique quaestu, in natali praecipuè
solo, in illa tot ornamentis incluta Ratisbona, cujus
Proceres genere, cognatione, virtute ac probitate, ma-
gno melioris fortunae solatio, conciliatos habes, sine
interruptione fruaris, Deum immortalem obtestor.
Vale. Scr. V Vittembergae, Nonis Martii, MDC III C.

Cæsaris in gentes Italas Tu jura tueris;
Gratulor hinc animo, hinc pia vota fero.
Perge, beet coeptum rutili Moderator Olympi,
Si labor est magnus, gloria major erit.

Ita Halla Sax. Fratri desideratissimo applaudit

M. G. A. A.
Seit

AK TK 1570

S Eitdem des Hünels Schluß uns beyde hat getrennet/
So hab ich offtermals an ihn/mein Freund/gedacht/
Und embsig nachgefragt / was Er bißweilen macht /
Izt aber wird es mir durch diese Schrifft genennet /
Dann jede Zeile legt ihm dieses Zeugnis bey /
Daß sie sein Zeitvertreib bißher gewesen sey.

Dieses wenigste wolte zu Ehren seinem werthge-
schätzten Freunde glückwünschend beyfügen.

J. M. F.

V nderat AGRICOLAM Latous jura tuentem
Cæsaris, Oenotrium queis regit ille solum;

Miratusque animum studiis sublimibus aptum,

Perge, ait, Imperii jura tuere sacri:

Perge, age, propterea dignus, me iudice, quondam

Conjunctas PATRIÆ qui tuearis opes.

*Votiva Verba, Nobilissimo Dn. Agricole Fautori
ac Conterraneo suo suavissimo, eruditissima hu-
jus Dissertationis Defensori, consecrata à*

J. J. M. R.

Cæsaris Agricolum jus dicere, mira relatu
Res, & inaudita est fabula, vera tamen.

*Mirabundus agresti vena applaudit Contuber-
nali de se meritissimo,*

Jo. Fenderlinus, LL. Cult.



ULB Halle 3
004 756 061



1017

11.15





THEOP
SCHIV
CON
AV
IN

COLA,
HIO,
ELE
TI



Prelo

p.

